

¶ Hoc deniq; iam parato instrumento, quo pacto ex eo Planisphæ-
 rium desumatur edocebimus. In proposito plano super A centro ad
 libitum, ducatur circulus $B C D E$, qui ubi duabus diametris $B D$ & $C E$
 in quatuor partes, sectus fuerit, in partes 360 diuidatur, & apposita re-
 gula ad singula puncta diuisionum proxima ipsi $B D$, secetur linea $C A$
 in 90 inæquales. Fiat deinde linea fiduciæ quæ in 90 partes diuidatur,
 sicuti $C A$ linea, in quo numerus desinat in A puncto, & hi quidem de-
 clinationum numeri & gradus. Extra ambitum uero $B C D E$, alij tres
 describantur circuitus, tria concludentes spacia, ita ut tantum inter B in-
 timum & sequens spacium intercipiatur, ut nomina quatuor cœli pla-
 garum inscribi possint, scribatur autem circa B literam meridies circa C
 occidentis, ad D uero septentrio, & ad E ortus. In sequens uero spacium
 horarum in partes distinctio, ac in tertium numerus horarum, qui inci-
 piat in B , uergatq; per C in D , & à D puncto rursus per E in B . Iam quo
 pacto horizon cum circulis Almicantarath Planisphærio facillime inseran-
 tur dicendum est, Regula itaq; fiduciæ affigatur A centro planisphærij.
 Deinde in instrumento prius descripto ppositæ cuiusuis horarij circuli
 cōsideretur sectio cum horizonte, in quo declinationū gradu id fiat, &
 apposita ad horam illam fiduciæ regula, notetur punctus ad Planisphæ-
 rium circa gradum declinationis in linea fiduciæ. Postea eiusdem hori-
 zontis cum reliquis horarijs circulis interfectiones notentur, in quibus
 declinationum gradibus contingant, & applicata ad eas horas Planis-
 phærij numeratas in semicirculo eius $C D E$, circa gradus declinationū
 in linea alhidada signentur ad Planisphærium puncta quæ proximis ar-
 cuali linea coniungantur, eritq; arcus ille Horizon. In instrumento aut
 eodem incipiendo in arcu $T C Z B I$, consideretur sectio horæ duodeci-
 mæ cum linea almicantarath proxima horizonti, in qua similiter gradu
 declinationū accidat, positaq; regula $A D$, ad horā 12 , circa D & circa gra-
 dum altitudinis notetur punctum ad $A D$ Planisphærij. Simili deinde
 ratione sectio sequentis horariæ cum eadem recta notetur, & ad eam ho-
 ram applicata regula circa illum gradum declinationis signetur punctum
 in utramq; partem ab $A D$ linea, & ita in reliquis quæ deinde arcuali li-
 nea iungantur. Hæc autem ratio in omnibus semper obseruabitur
 donec ad æquatorem uentum fuerit, ibi enim tum circuli almicanta-
 rath propositi cum æquinoctiali considerabitur interfectio, circa quem
 ex horarijs circulis id accidat, & applicata ad id tempus & A centrum
 regula notabitur punctum in ambitu $B C D E$ ex utraq; parte, hic etenim
 æquatoris in Planisphærio uicem gerit. Quibus omnibus hac lege de-
 scriptis depressionū circuli, quos quidem apparentiarū uocant, eadem
 penitus ratione inscribentur Planisphærio hoc solo notato, quod sectio-
 nes almicantarath proximæ horizonti in instrumento cum hora 12 , &
 reliquis, numerandę sint in reliquo $T D G E I$ semicirculo instrumenti, que

g antea